

_Lettera_N_2529

Al signor Francisco Benítez

*Taurini pridie idus maji 14 maggio 1877 Dilecto amico et fratri Iosepho

Francisco Benítez in D. S. P. ,

Quotiescumque epistolas tuas accipio semper magno animi gaudio afficior. Etenim eloquia tua sunt undique verba amici benevolentissimi, Patris amantissimi; et perinsignis benefactoris, qui verbo et opere filiis Sancti Francisci eorumque Congregationi benefacere exoptas.

Perge itaque, vere amice mi; adiuva filios meos et per ipsos subsidium Catholicae Ecclesiae offeres. At memento caritatem tuam non esse tantum impraesentiarum, sed in futurum; hoc est donec humilis nostra Societas filios habuerit.

Si tamen licet aliquid a te specialiter petere, confidenter dicam. Filii mei, qui Buenos Ayres commorantur ob pecuniae deficientiam in angustiis versantur, propterea sacerdos Bodrato mihi scripsit nunc temporis pro se et pro suis non aliud habere vivendi adiumentum praeter fidelium oblationes, quae in ecclesia Matris Misericordiae de die in diem deferuntur. Si commode aliquid poteris grato animo ut

hos filios meos adiuves, tibi commendo.

Utor verbo si poteris, eo quod satis mihi patefacta sunt beneficia quamplurima quae tu sive apud S. Nicolás de los Arroyos sive in urbe Buenos Ayres quotidie repandis. Interim ob tot cumulata beneficia volens te speciali benevolentia prosequi, tibi rem gratam peragere, statuam ab initio huius mensis ut per singulos dies ad Beatae Mariae Adiutricis altare una Missa celebretur, nostri alumni sanctam communionem cum aliis precibus pro te ad Deum fundant.

Vivito et vale, anima electa, amice fidelis, Deus te sospitem diutissime servet in annos plurimos. Ego vero donec vixero rogabo Deum pro te; cum autem Factor rerum ad aeternam patriam me vocaverit, hoc idem facient filii mei in Europa, in Asia, in America per saecula; uti spero. Amen.

Tamquam munus pretiosum alias epistolas, si tibi placet, expecto. Interim roga Deum pro me et collectis animis pugnemus viriliter ut coronemur feliciter.

Iterum vale

Sac. Joannes Bosco